INVESTIGATIO INAUGURALIS DE CAUSIS ET FORMIS FEBRIUM EPIDEMICARUM COMMUNIUM.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS MOODY,

HIBERNUS,

Ad diem 12. Junii, hora locoque solitis.

Nunc ratio quae sit morbis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis, hominum generi ——
Expediam. LUCRET, lib. vi.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXII.

Patri optimo, benigniſſimo,

Filiique cum reverentia ſemper ſuſpiciendo,

J A C O B O M O O D Y;

Fratrique chariſſimo, perbenevolo,

Amore maxime conjuncto,

J O H A N N I M O O D Y, A. M.

Huic in civitate Dubliniensi,

Illi apud Newry, in comitatu Dunenſi in Hibernia,

Sacri Chriſti Miniſterii officio fungentibus;

Ob praecepta pura ad vitae integritatem,

Quibus illum imbuerunt,

Curamque maximam, qua, dum ſtudiis incubuit,

Evigilarunt, et, quantum penes fuit,

In promovendis adjuverunt;

Hancce opellam, laboris in medicina prolem primam,

Ut teſtimonium publicum, utinam magis dignum!

Quantus ſit amor in animo repoſtus,

Summa, ut decet, diffidentia

ponit

J A C O B U S M O O D Y.

Mr. Letcherwood
from his hble serv.t
James Moody

INVESTIGATIO INAUGURALIS

DE CAUSIS ET FORMIS

FEBRIUM EPIDEMICARUM COMMUNIUM.

DISSERTATIONEM inauguralem conſcribere, et in publicum edere, nobis, gradum in medicina doctoralem appetentibus, a legibus academicis pro penſo imponitur; et, niſi ita res ſe haberet, nunquam ad hoc opus conficiendum adeo tremula manu calamum chartae admoveremus. Quoniam vero a neceſſitate dura, nullis legibus devincienda, ad ſcribendum impulſi ſumus, multa proferre verba, ut excuſatos nos habeatis, vix opus eſſe videtur.

ALIQUAMDIU mente dubia adſtitimus, de qua re ſermonem noſtrum haberemus male inſcii: Tandem, rem nec omnino inutilem nos tentaturos, conſtitit, ſi fontes, unde eveniant febres

epidemicae, inveſtigare, et earum formas ſtabilire, aggrederemur. Stulti nos! qui ſponte, nulloque cogente, quaeſtionem tam craſſa caligine obvolutam, et medicis ita vane exagitatam, evolvere niteremur; quum, ad alia, nec captum noſtrum adeo exſuperantia, tractanda, noſmet conferre datum fuit. Quod ſententiis ineſt medicorum de hac re diſcrimen, nobis in cauſa erat, et praecipue praepollebat, ut inquiſitionem hancce inſtitueremus; quoniam nec aliter judicium proprium ferre in quaeſtione tam momentoſa licuiſſet.

AUTUMO ego quidem, neminem, artem Apollinarem profitentem, latere ſententiam Sydenhamianam et Boerhaavianam; atque illam etiam, virorum Cel. Huxhami et Wintringhami. Hi enim febres epidemicas ad qualitates aeris ſenſibiles retulerunt; illi vero, has forſitan nimis temere averſati, ad qualitates aeris inſenſibiles relegaverunt. Diſquiſitionem dum hanc expedivimus, aliquatenus ab utriſque ſententiis differre, aequum nobis viſum fuit: An recte fecerimus, necne, lubentiſſime lectoris judicio ſubjicimus, ab illo nihil amplius obſecrantes, quin, quae obtulimus argumenta, animo aequo et ſincero expendat. His ante praegreſſis, quam cauſas et formas propius inveſtigare noſmet accingamus,

quae-

quaedam, noſtrum conſilium, limiteſque operis, breviter attingentia, nos profari neceſſe fit.

MORBUM dicimus *epidemice* graſſari, quando multos in eadem regione ſimul invadit, a communi cauſarum fonte ortum trahit, et, poſtquam per temporis ſpatium curſum peregerit, iterum omnino evaneſcit. Hac unica via ab morbo *endemio*, qui nuſquam non in eadem plaga obſervatur, nec unquam prorſus extinguitur, diſcriminatur; ſive, ut Gorraei verbis utar, ‘ quamvis uterque ‘ communis eſt, hic tamen, endemius, ſcil. famili- ‘ aris alicui regioni, et quodammodo vernaculus, ‘ ille vero epidemius, non aſſuetus, ſed a commu- ‘ ni cauſa et inſolita natus *.’

CUM vero argumentum operis ſerio perſcrutaremur, febrium epidemicarum diviſio apta ſeſe in conſpectum obtulit, quae, nobis vendicata, magnopere ad rem totam decurtandam videretur conducere; dari enim duo febrium epidemicarum genera, clariſſime innoteſcit, frequenter graſſantia, nullo vero modo inter ſe, quoad naturam, commiſcenda. Hae primo notandae, ex cauſa, ut dicitur, ſpecifica ortum accipiunt, quales ſunt variola, rubeola, aliaeque ex exanthematum ordine febres;

* Gor. defin. med. verb. επιδημιος.

febres; de cujus causae specificae natura, nihil nobis luculentum patet, nisi, nunquam deleri, sed solummodo latere, atque constituere fomitem, qui, data occasione, et favente aeris temperie, prorumpat, et morbum propaget, affirmetur. Contra, cognoscuntur febres, in plerisque regionibus, et anni tempestatibus certis, capita exserere, nullasque notas specificas gerere; et hae, postquam per tempus saevierunt, iterum se subducere repeririuntur. Hoc autem inter eas praecipuam distinctionem ponit, quod, quandocunque resuscitantur febres, qualium proxime mentionem fecimus, ex novo tunc generantur causae; atque, extinctis febribus, iterum ex toto dispereunt: Quod nequidem de iis, ex causa specifica ortis, locum habere affirmandum. His igitur febrium epidemicarum *communium*, illis *specificarum*, nomina imponere volumus: Et sane, in operis titulo, forsitan nimis obscure, expositione hac nostra incognita, sententiam enunciavimus; sed culpam diminuere admonemus, tunc temporis, quo nostra mens clarius pateret, aliquid defuisse. In causas, ergo, et formas febrium epidemicarum communium, caeteris praetermissis, in animo in praesens est inquirere; nec, quae de his in publicum proferemus, ad epidemias solas respicere

velle-

vellemus: Febres etiam endemicae, quatenus caufam fpecificam refpuunt, iifdem legibus fubjacent, et aeque ad inveftigationem noftram pertinent. His antea conftitutis, caufas explorare nunc aggredimur.

Fontem vulgarem febribus his epidemicis affignandum effe, omnes confentiunt; neque ille aliter quam a cibo et potu, five aere, poteft repeti. Quoniam tamen vix ulli medicorum ad fufpicandum accidit, febres epidemicas cibo et potu, ab his quantacunque modificatio profecta fit, moveri poffe, eorum confiderationem poftponemus. Verumtamen de aeris virtute, ad febres epidemicas gignendas, nemo dubitat; quin, five fenfibilibus five infenfibilibus ejus qualitatibus eft referendus earum ortus, praecipue difputatur, et huc recidit tota quaeftio, de qua pauca nunc fubjungere licet: Et, primo, qualitates fenfibiles attingam.

Qualitates aeris, Senfibiles nuncupatae, fex in numero funt; calor nempe et frigus, humiditas et ficcitas, gravitas et levitas. Binae pofteriores, intimam quamvis effentiam aeris conftituunt; tamen ullam habere potentiam, ad febres vel ciendas vel modificandas, quis medicus vir concedit? Itaque effectus, quoad fe invicem tranfmutent atque

que excipiant, in praesens omnino nobis praetermittendi sunt.

Ex effectibus caloris et frigoris, siccitatis et humiditatis, seorsim, aut hac illave associatione in hominis systema vires exserentium, petenda est febrium epidemicarum origo, quatenus ex qualitatibus aeris, sensibus obviis, proveniunt: De quibus ergo dicendum.

Qui de febribus epidemicis disserunt, eas in temporibus vernali et autumnali praecipue exstare, affirmant. Sydenhamus, vir in observando sagacissimus, et post eum alii, observationi propriae innixi, hanc distinctionem instituerunt. Rem ita enarrat Sydenhamus *, 'Quod, epi-'demiorum qui verno tempore grassantur, alii 'mature admodum se ingerunt, mense, scil. Ja-'nuario, et exinde, pedetentim increbrescentes, 'circa Æquinoctium vernale ad statum perveni-'unt, a quo, sensim imminuti, circa Solstitium aesti-'vum evanescunt, nisi quod paucissimi postea for-'san hunc illumve petant.' Solstitio aestivo etiam praeterlapso, 'sunt alii, qui, eadem tempestate 'prognati, mense Augusti, scil. usque ad hyemem 'excurrunt.' Sententiae eidem Senac Ill. congruere

* Oper. edit. Leid. p. 43.

ere invenimus; et afferere, quod, ' vigentibus calo-
' re et frigore fummis, pauciores, et ii diverfi mor-
' bi, gignuntur *.'

Rem ita fe habere, concipere poffumus; tamen nec tam exquifite fieri credimus, in iis faltem regionibus, ubi adeo variabile coelum habemus. Prudentiffime igitur a Senac fubnectitur, quod, ' pro ' varia tempeftate, aut foli ratione, citius aut tardi-' us incipiunt et definunt febres epidemicae †.'

Huic obfervationi fi affenfum praebeamus, quod aliter equidem fieri nequit, nec calorem, nec frigus, pro caufa febrium epidemicarum, quando, in quibus tempeftatibus regnat eorum ira fumma, rariffimas fefe produnt, merito accufari, pronuntiare poffumus. Sed huic argumento, ad ulterius confirmandum, plurimae obfervationes adnecti poffunt. Juxta, qui homines regionem habitant praefrigidam, febribus effe multo minus obnoxios; inque iis memoratis locis, rariffime fe tollere, contagione modo non ex aliena terra invecta, febres epidemicas, compertum habeas. Contra, calores fummos nec ad febres epidemicas

* De recond. feb. interm. nat. edit. prim. p. 17.

† Ibid.

demicas accendendas valere, ex Lindo Cl.* qui in regionibus calidiſſimis felicia commonſtravit loca, quae epidemias, in toto ſuae viciniae orbe circumjacentis, graſſantes effugiunt, optimumque ſanitati praeſidium efferunt, diſcimus.

Qui febres epidemicas ad calorem ſolum retulerunt, haud caute de humoris abſentia judicaverunt. Rectiſſime equidem obſervavit Pringelius Baronetus †, humiditatis in aere quantitatem, ab aquae copia e nubibus demiſſae nequaquam pendere, ſed multo certius ex ventorum humidorum frequentiori perflatu, regionis ſitu humiliori, et ſtante gravi et auſtrino coelo. Cauſae adeo innumerae humoris ubique loci ſeſe produnt, quod vix invenietur regio habitata, ubi eum abeſſe dicamus, et effectus morboſos calori ſoli referamus. In Arabiae terris arenoſis, ſine humore aeſtus revera ſummi: Tamen, ſi Domino Ives ‡ fidamus, ibi exinde febris non occurreret; tantum vero ventriculi reſolutiones, alvi tormina, et dejectiones bilioſae, aeſtus ingentis effectus, prodibant.

Quam-

* De morb. Europ. paſſ. fere.

† Obſerv. de morb. exercit. p. 82.

‡ Lind. de morb. Europ. p. 103.

QUAMVIS calor et frigus ex se non febres moveant, nonne ex eorum varietatibus aliquid exspectandum?

NIHIL equidem systemati humano perniciosius offerri possit, et ex quo frequentiores morbi, quam siquidem aliquis, ab exercitio aliave causa admodum calefactus, frigori sese liberaliter objecerit. Sydenhami observata ad hunc scopum fortiter collimant: En verba! "Si quis," dicit, "aegrum medicus de prima morbi occasione "paulo minutius interrogaverit (modo ex acu- "torum numero sit morbus) audiet quasi semper, "vel eum vestem aliquam temere deposuisse, "cui pridem assueverat, vel corpus, motu excale- "factum, subito frigori exposuisse:" Et existimat, "Plures modo jam designato, quam peste, "gladio, et fame, simul omnibus, perire *."

CUM Sydenhamo ex corde consentimus, quod causa evidens externa febrium quam plurimarum exinde est petenda. Si vero attentius varietatis hujus effectus perpendimus, nunquam febri genuinae, qualem per totum volumus, sed iis solummodo, phlegmasiis dictis, ex inflammatione topica nomina sortientibus, et secundum ordinem

* Oper. pag. 258.

classis Pyrexiae, in Synopsi Nosologica Culleniana, conficientibus, vel synochae in ejusdem classis ordine primo, ansam exporrigere, comperiemus. Inter has phlegmasias frequentiores invadunt pneumonicae, anginosae, et rheumaticae; et, quamvis hae, epidemiorum nomine auctoribus decorantur, tamen vix unquam tam populariter grassari censemus, ut altero, quam sporadicorum titulo, potiri mereantur: Ideoque, nec a caloris et frigoris varietatibus febrium epidemicarum trahendum esse ortum, pro rato admittimus.

Quod de calore et frigore hucusque diximus, de iis, sicca aeris temperie conjunctis, intellectum volumus; de quo praeterea, verbis disertis, Pringelium Hoffmannumque, viros summa fide dignos, habemus affirmantes, nunquam iis, dum aestus et frigus intensissimi cum siccitate aeris summa regnant, exoriri febres epidemicas, constare.

Multi medici, in hac re parum a nostris sententiis discrepantes, non calori soli, nisi humor conjungitur, febres epidemicas, praecipue quae ex intermittentium genere sunt, remiserunt. De iis solummodo dicimus, quatenus in systema nostrum propriam actionem edunt. Nec, cum primo rem intuearis, eos male fuisse credas. In regionibus

regionibus calidis, ſimul atque menſes imbriferi, ut dicuntur, vertente anno, adveniunt, invadunt febres epidemicae, dum calor ad hoc efficiendum antehac haud valeret; et equidem tanta in humido aere inire videtur potentia, ut nonnulli, caloris effectus negligentes, has febres humori omnino tribuerint. Nihil vero ad rem eorum ſententia, quae humorem fibrarum laxitatem inducere, et perſpirationis inſenſibilis excretionem impedire, pro modo operandi, poſuerit, atque ita originem febrium epidemicarum expediverit, conficit. Quam plurima praeterea medicorum obſervata nos in contrarias partes abripiunt.

Exemplum vulgatiſſimum fluminis Nili omnibus innoteſcit; de quo traditur, ut febres, quae per multos menſes, ſingulis annis, epidemice graſſantur, in locis huic flumini vicinis, ſimul atque ille ripas et partes confines inundat, ad certamque etiam altitudinem, accolis bene cognitam, aqua aſcendit, ex malignitate et frequenti occurſu amittunt, et citiſſime propemodum ceſſant: Eodem tempore tamen, ex calore ingenti et aquae ſuperficie lata, magnam aquae copiam evaporari, et corpori admoveri, aliter fieri non poſſit. A quaeſtione noſtra nec aberrat, quod a Senac dictum habemus, de lacu urbem adjacente,

cente, unde nil mali prodiisset, quamdiu colluvies putridae, ex domibus et vicis in eam confluentes, aqua immersae latuerint; quum vero ad aquae superficiem se extulerunt, grassari coepta fuit febris maligna, et ingenti strage saeviebat. Anne supponendum, in hoc casu, majorem aquae quantitatem ascendere, cum colluvies ad aquae superficiem exstitit, quam cum immersa latuit? Nequidem, in nostra sententia, res se habere possit. Huic propositioni ulterius fidem facere, ex Turcis, aliisque gentibus quae in usu maxime frequenti balnei calidi sunt, quo relaxantur corpora, et etiam hoc in modo febribus forsan praedispositionem exhibent, petantur argumenta: Ex hoc fonte, tamen, vel unam exortam esse febrem, omnino recusamus, donec, quae nunc desunt, eluceant documenta clara. His addere licet, quod, paroxysmo febrili ingruente, inter medicos ut notum est, si in balneum calidum descenderit aliquis, et tempus accessionis in eo consumit, non gravior fit paroxysmus, sed saepius omnino a febre liber evadit aeger. In rebus vero apertissimis forsitan nimis longi fuimus: His etenim perfectis et conclusis, nullum esse locum febres epidemicas qualitatibus aeris sensibilibus referendi, constitit; nec illas, in successionibus

vel

vel mutationibus, pari paſſu, cum harum qualitatum viciſſitudinibus, incedere *. Quanquam non negandum, ex iis, morbos eadem eſſentia gaudentes, varietatem aliquam, ſive in ſymptomatis modificationem, pati; de quibus poſtea dicemus. Similique modo, poſt plenam, in omnibus ejus potentiis, aeris conſiderationem, concludere placuit Gaubio ſagaci, hiſce verbis: "Fruſtra quis ab ipſomet aere, aut a communibus ejus qualitatibus, morborum principia atque materias repetat, perque obſervationes meteorologicas unice detegere atque explicare conetur *."

QUALITATES aeris ſenſibiles quoniam ita adverſe tractavimus, unde nobis eveniant febres epidemicae, in propatulo erit; quaerenda eſt enim earum origo in aeris qualitatibus inſenſibilibus, medicis ita nominatis. Nonnullis forſitan videatur, nos problema haud enodandum tentare, dum in has qualitates inquirere volumus; et profecto nobis ipſis videretur, ſi το θειον Hippocratis, et "ſecretam abditamque alterationem in ipſis terrae viſceribus," Sydenhamum ſecundum,

* Wintringham comment. noſolog. pag. 1.

† Pathol. par. 440.

dum, aeri qualitatem insensibilem, febrium epidemicarum causam, impertire supponeremus. Talis equidem aeris conditio in sensus non cadit; et revera "occulta et inexplicabilis" est: Neque ad illam opus est refugere, ut causae febrium epidemicarum diversarum, quas descripserunt medici, eruantur.

His, ut vanis omnino, repudiatis, quid ab iis qui de his qualitatibus magis scrupulose loquuti sunt traditur, videamus.

Medicorum, in genere, hanc esse sententiam concipimus, omnivaria effluvia, volatilia reddita, ex quacunque materia exhalant, sive in aere soluta, sive diffusa tantum sint, aeri qualitatem insensibilem communicare. Talem plane * Gaubii esse mentem apparet; inque hac significatione, nostra de hac re verba intellecta esse volumus. Nec de terminis, dummodo definiantur, litem moveremus: Cum Lancisio forte, verbo *adventitio* uti, melius esset; nomina vero in usum recepta nefas mutare duximus.

De effluviorum varietate et differentiis, quae in aere suspendi possunt, speciatim verba habere, haud penes nos esse, confitemur. Multi fontes, unde

* Pathol. par. 442.

unde noxiae vires aeri inficiendo, et qualitatibus permutandis, profluere poſſunt, a Gaubio Ill. * enarrantur. Dum vero febrium epidemicarum hiſtorias perpendere, animi nervos intenderemus, multo majorem eorum numerum ad conſtitutionem aeris, febres epidemicas facientem, nil valere, et omnino repudiari, pro certo ſubſtitit; et fontes duos primarios ſtatuere nobis licitum videbatur, quibus, veluti eorum cauſis, referendas eſſe febres epidemicas communes: *Unum*, ſcil. fontem locis paludoſis, coeno plurimo obductis; *alterum* corporibus hominum, quando multitudo in parvo ſpatio coarctatur, neque aer renovatur, natum. Quo in modo ex his fontibus materia venenata, febribus accendendis, ſuppeditetur et gignatur, rimari proficiſcimur; veruntamen, ut in noſtro loquendi more minus hallucinemur, magiſque perſpicua fiat oratio, terminos, quam ſaepiſſime in uſum vocandos, praeſcribere oportet.

Miaſmata et *effluvia*, quae in noſtris ſententiis ſignificatione ſimili haud congruunt, et quae ad terminos neceſſarios conficiendos ſeparatim adducerentur, eodem in uſu confundunt medici.

* Pathol. par. 442.

medici. Nos tamen ſingula nomina ſingulis epidemicarum febrium ſontibus ſupra memoratis appropriare, atque miaſmata *primo*, eſſluvia *ſecundo* fonti, ut termini conſtituantur, reſpondere volumus. Quo termini minus fallant, neque aliquatenus male diſcriminentur, miaſmatis nomen paludoſorum, eſſluviis humanorum, imponere ſtatuimus. *Contagio*, quod audit, propioribus limitibus circumſcribitur; atque illam eſſe materiam, quae aegri corpore febre laborantis emittitur, et febri concitandae in homine ſano apta eſt, intelligimus. Nunc ad rem.

Febres epidemicas ab exhalationibus mere aquoſis non originem accerſiviſſe, ſupra oſtendimus; pro certo tamen conſtitit, ex locis paludoſis evaporari, modo caloris gradus ad fermentationem requiſitus adſit, noxium aliquid, nobis miaſma nominatum, eorumque cauſam aeſtimandum.

Paludes ex materiarum vegetabilium et animalium, in aqua intermiſtarum, congerie conficiuntur; et, dummodo tales materiae dantur, de aquae ſpecie haud magnopere intereſt. Hae paludes magis minuſve noxiae exiſtunt, propter aquae copiam ſtagnantem, ſuperficiei latitudinem, variamque permixtionem. Praeſentem eſſe in paludibus rem vegetabilem, ante oculos omnium verſatur;

versatur; de materia tamen animali haud ita conscitur. Qui vero in talibus locis insecta pene innumera ibi orta sive aliunde advecta esse haud ignorat, et praecipue, cum prope urbes jacent, urgeri in eos varia corpora animalia, atque ut vel omni colluviei putridae receptacula fiant, non dubitare, quin etiam materiam animalem, in quantitate sat larga, eodem tempore existere, possit.

Quaecunque sit in palude materierum permixtio, eas in putredinem tendere, omnibus in confesso est, dummodo dantur ad talem corruptionem requisita singula; quorum praecipua sunt humor, calor, et rerum requies. Experimentis comperitur, nisi supra gradum quinquagesimum excesserit calor, putrefactionem non fieri, saltem noxiam non existere; hinc nihil ex paludibus pertimescendum, in Hyeme, nec in Vere, donec atmosphaera calescere incipiat. In nostris, aeque ac in regionibus magis australiter sitis, modo appropinquante solstitio aestivo grassentur febres epidemicae, ex hoc fonte; abhinc usque ad solstitium hyemale, incolas, et praecipue advenas, divexare solent. In regionibus calidioribus, ubi nunquam deest ad putredinem concitandam caloris gradus, in locis paludibus vicinis, vel endemicae inveniuntur febres: Sed prorsus supervacaneum esset,

tempus terere ad hoc exemplis illustrandum; quoniam ex * Lancisio experientissimo, multisque aliis, adeo clare patet.

Quamvis optime cognoscimus, haec miasmata a materie animali et vegetabili, dum putrefactione resolvuntur, exhalare; an vero ex alia, sive altera, aut utrisque conjunctis; an sunt productio fermentatione generata, aut tantum subtilior volatiliorve pars alteris disjuncta, et in aera elevata, nobis vix hariolari datur; nec impraesentiarum lites movendae. Neque magis de divisione Lancisiana, in miasmata organica et inorganica, nobis satis liquet. Insecta pene innumera in locis palustribus generari novimus: Ea vero aliquam epidemicam labem, dum vivunt, inferre, vix concedas. Admittendum potius, ingravescente frigore hyberno insecta occidi, et subsequente calore aestivo, dum putrefactionem subeunt, miasmatis noxii fontem sese praebere. Haec de miasmatum paludosorum, primum febrium epidemicarum fontem constituentium, origine dicta volumus: De altero fonte sententiam proferre pergimus.

Hunc

* Lib. de epidem. ex nox. palud. effluv.

Hunc fontem alterum effluviis e corporibus humanis retulimus; et pro certo, ex obfervatis, aera, fi circa homines diu ftagnat, et receptis abs corpore vivo vaporibus inficitur, noxium reddi, et febribus equidem mali moris progignendis fieri aptum, nunc ponitur. Tale innafcitur aeri virus in carceribus, nofocomiis, navibus, et in quibufcunque diverforiis ubi includuntur in parvo fpatio hominum multitudines, et aer frequenter infpiratur, nec renovatur. In quafnam occafiones talis gignatur materia venenata, vix obiter explicabile eft. Saepe enim ex caufis recenfitis non nafcitur effectus; et exhinc nonnullis omnino dubitatur, an effluvia ex fanis corporibus noxia fieri poffunt. Tamen vix ita, nifi maturius re penfitata, concludendum. In homine febricitante, contagio, e corpore jam emiffa, multo minus nocens eft, quam poftquam materiae alicui per tempus adhaeferit: Similiter de effluviis e fano corpore analogice ratiocinari libet, quod, quamvis prorfus innocua cum primum emittuntur, ftagnando tamen, et mutationes diverfas fubeundo, virulentiam acquirere poffunt; hafque mutationes, praecipue confpirantibus caloris et humoris effectibus, et quibus adhaereant lignis humidis, veftibus, muris, aliifque hujufmodi adftantibus, locum tenere fufpicamur.

picamur. Ex Lindo, ſummis medicinae honoribus cumulari digno, diſcimus, quod, in navibus recenter conſtructis, et lignis trabibuſque humiditatem etiam tranſpirantibus, certius fuerunt generatae, et gravius ſaevierunt febres, quam in iis quae ex materia Soli et ventis tamdiu expoſita, ut exſiccaretur humor, factae fuerunt. Febrem, praeterea, ſeſe attollentem, et epidemice ſaevientem inter homines coarctatos, ex contagione advecta originem ſemper trahere, vix nobis credendum: Et, quandoquidem probatum habetur, aerem, ita noxium redditum, ex forma benigniſſima febrem, in maxime malignam, et gravibus ſymptomatis ſtipatam, permutare poſſe; febri accendendae etiam inſervire, quid credere obſtat?

Et cauſarum quidem talem rationem ſtatuere viſum eſt, ex origine quam univerſe exiſtere poſſunt, liquido patet; vix enim datur ſoli ſpecies, quae materia putreſcibili non ſatis imbuitur, ut miaſmata noxia exhalet, dummodo accedant caloris et humoris gradus adaptati. Praeter loca, quae ſupra effluviis gignendis accommodari recenſuimus; inter plebem pauperrimam, in omnibus fere terris, dantur occaſiones eorum generationi faventes. In tuguriolis inter immunditiam foediſſimam fere omnes vivunt, veſtes pro corporibus,

ribus, et pro lectis stragulas, vix habentes, nisi quae contra frigus corpora tutentur; et his quam rarissime aqua elutis, aut vento puro adflatis, maxima effluviorum sit retentio: Quae, calore corporis sive aeris temperie fota, vim venenatam acquirunt. Observatur, quod huic fidem conciliaret, febres epidemicas inter plebeculas incipere, et majori cum strage tragoedias ludere, quam inter homines melius mundiusque vestitos, et qui cibo opiparo utuntur.

Quoniam, ob subtilitatem, sensuum aciem aufugiunt haec miasmata et effluvia, experimentisque subjici recusant, ex eorum effectibus de iis judicare tantum possumus. Duabus viribus, *septica* scil. et *sedativa*, praedita esse miasmata et effluvia, quibus effectus praecipuos producunt, videntur.

De septica vi ex * Senac et † Rouppe, Ill. viris, luculenter liquet, cujus effectus, in corporis fluida, fermenti instar potissimum exseruntur. Cum sanguinem, fluidum ex partibus heterogeneis confectum, introeunt, putrorem induci, sive hujus fluidi spontaneam in putredinem proclivitatem

* De feb. interm. natura. lib. 1. cap. 4.
† De morb. navigant. p. 224.

tem plurimum augeri, materiasque primarias ipsas multiplicari, claris indiciis ostendatur; hinc noxiae vires augentur, et fundamentum febribus pessimi generis struitur. Semper latitare viderentur, antequam in morbum erumpunt; sed, per quodnam temporis spatium, difficulter ediscitur. Quatuordecim dies Lindus statuit de effluviis humanis: Multum vero, ut nobis videtur, semper ex quantitate recepta, et virulentia, ex habitus dispositione apta, et ex causarum excitantium applicatione fortuita, pendebit; et eo citius exspectetur febris, quo conjunctior et gravior horum occursus.

SEDANTIS eorum vis plenissima deducantur indicia ex auctorum, Lindi imprimis et Pringelii, observatis; praesertim vero ex symptomatis, quae in primis febrium insultibus sese manifestant. Febre nondum penitus formata, est levis horror et tremor, frigoris sensatio, et ad motum inertia: Perit appetitus, hebetiores fiunt mentis facultates, et aeger cogitationi admodum adversatur. Haec, vim eorum sedantem evincentia, ad conclusionem quam maximi momenti ducunt, ad agnoscendam, scil. functionum animalium debilitatem, pro primario seu fundamentali in febribus effectu,

tu,

tu, et ex qua, quae poſtea ſequuntur phaenomena, explicanda veniunt.

His de miaſmatis et effluviis confectis, de contagione multa habere verba vix opus eſt. Febribus epidemicis graſſantibus, primo fomiti ut quiſque ſe exponat, et ut morbus fiat, haud neceſſum eſſe, omnibus cognoſcitur: Ex aegri corpore enim emittitur, quod contagionem nominavimus, et, a ſano receptum, febrem omnino ex ſimili natura procreabit, et hoc in modo per populum proſerpet.

Hic vapor contagioſus ex aliqua aegri excretione oriatur, et in ſublime feratur, praecipue vero ex materiis e pulmonibus ac cute ejectis; quoniam hae excretiones tenuiores vehiculum maxime idoneum, ad rem tam ſubtilem ac nobis eſſe videatur contagio exportandam, ſeſe praebent. In omni epidemio haec excipitur contagio: Tamen in ſingulo non aeque conſpicua prodit. Plurimum minus, ubi a primo fonte originem trahit; magis vero, ubi effluvia humana, ad morbi malignitatem ratione ſemper habita, pro cauſa ſunt.

Contagionis effectus in hominum ſyſtemata ab illis miaſmatum et effluviorum nihilo differunt; ideoque, ut dudum intellectos, praetermittimus. Paucula, cauſarum vires intendentia, atque

que in genere omnibus aeque convenientia, adjicere, et hac opera praesentem de causis disquisitionem finere, procedimus.

1. Ut causa evidens singulis concedenda, concentratio, sive major in dato spatio eorum copia, enumeranda venit; nam, caeteris paribus, omne corpori admotum secundum quantitatem nocentius evadit. Huic refertur, quod observant medici, febres epidemicas, quo propior fons, eo numerosiores et maligniores.

2. Quantitate data, stagnatio, et maxime eorum, vestibus praesertim ex lana confectis, aliisque juxta aegrum positis, adhaesio mire ad vires acuendas conducunt. Exempla equidem hujus gravissima, in Lindi, Pringelii, aliorumque auctorum operibus, ubi de febribus contagiosis tractant, invenientur. Hoc saltem compertum habeas, quod, quo longiore tempore grassantur febres epidemicae, eo benigniores evadunt, et, ex natura in principio maxime maligna, faciem haud omnino formidandam induunt.

3. Aere calido et humido accedente, ventisque non fortiter spirantibus, ut eorum generationi et concentrationi magnopere favent, ad hunc scopum fortiter collimant. Cum ratione igitur, 'aestas periculosior, autumnus vero pericu-
'losissi-

'losissimus', Celso eleganti nuncupatur. Hoc de aere Romano scripsit, de quo, Lancisio auctore, plurima ad ejus confirmationem discutiuntur. Haec sunt quae summopere vires nocendi intendunt: In omni epidemio quantum cavendae sunt, ex commentario de febribus arcendis discutiendisque, ab Alex. M. Drummondo, viro ingenioso atque erudito, ediscatur *.

De causis haec breviter explevimus. In longius sermonem trahere haud sinit instituti ratio. De formis febrium ab his fontibus orientium, altera nec minus ardua difficilique investigationis nostrae parte, loqui adhuc restat; in quas nunc insistendum.

Ineptum prorsus, et etiam ingratum esset, tempus in opinione Sydenhamiana et Boerhaaviana refellenda terere; quoniam, si quod de causis supra eruimus veritati haud adversatur, indubie sequitur, nec in earum natura 'inexplicabiles febres 'epidemicae,' nec distare ut 'aera lupinis', ut voluit Sydenhamus. Quandoquidem, etiam in Sydenhami scriptis, nec vestigia offendimus hujus in morborum facie diversitatis, neque in remediis ad febres debellandas varietatis, Haec omnia, a veri-

D tate

* Pro Dissert. Inaug. edidit Edinb. 1770.

tate aliena, et hypotheseos praeconceptae effectus, merito consideranda et flocci facienda reamur. Placent de hac re verba Lancisii *: ‘ Si quis,’ ait, ‘ nostras et priscorum confert epidemias, pa- ‘ res utrasque fuisse deprehendet, ut non sit du- ‘ bitandum, quin posteri, eadem mala quae nos ‘ patimur experturi, nullamque rem, aut in cau- ‘ sis, aut in symptomatibus, aut in praesidiis, nisi ‘ tempus, interesse judicaturi sint.’ Hac opinione concepta, et missis caeteris, ad particularem formarum investigationem nos conferimus.

Duas tantum febrium formas stabilivit Cullenus noster Cel. quibus omnes febrium typi, quotquot sint, referri possunt: Hae sunt febrium quae intermittunt, et quae continuum habitum induunt. Nullam esse febrem statuit qualis antiquitus continentis nomine dignata fuit, febrem, scil. quae ‘ nullam remissionem ad morbi usque judica- ‘ tionem praebet †.’ Talem nunquam revera vidisse testantur praeceptores nostri, summa fide digni, Cullenus et Gregorius: Et rem ita se habere promptissime conciperemus; quoniam in nostro systemate exempla invenimus motuum periodicorum,

* Lancis. oper. p. 105.

† Lomm. obs. med. de febre continua.

dicorum, qui indubie habitum ex frequenti repetitione efformarent, et ad remissiones, exacerbationesque quotidianas, febres certissime determinarent. Appetitus, excretionum, somni et vigiliarum regressus ordinati, cum regulari pulsus incitando et tardando successione indies eveniente, testante Robinsono *, horum motuum periodicorum minimum dubii locum praecidunt.

Inter febres, quas descripserunt medici, epidemicas, aliae intermittentes, aliae continuae sunt. Intermittentium varia sunt genera seu typi; inter quae, adeo frequens accidit genus tertianum, ut non detur inter auctores exemplum, ubi aliter quam quasi sporadica altera genera, sive hic et illic disseminata, eodem tempore epidemice grassantibus ex tertianarum genere febribus, videbantur.

Eidem generi, ut diversae tantum species, apposuit Cullenus, Praeceptor noster aestimatissimus, febres, vel intermittentes vel remittentes; et in nostra sententia haud male fecit: Nosque in ejus vestigiis incedentes, cum de intermittentibus loquimur, de eis etiam ad talem statum appropinquantibus, cum remissionibus evidentibus, loqui

* De oeconom. animal.

qui volumus; de earum varietatibus, ne verbum unum addemus.

Earum febrium, quae continuae ſunt formae in Noſologia Culleni, cui ſemper referimus, tria habemus genera; ſynocham, ſcil. typhum, et ſynochum. Synocha, ſive febris inflammatoria continua auctorum, quoniam ab frigoris applicatione excitatur, et vix, ſi unquam, contagione propagatur, et nunquam epidemica evadit, eam in praeſens omnino mittimus. In typho et ſynocho vix eſt quod ad diverſa genera facienda inſerviret: Eaſdem cauſas enim agnoſcunt; nec diverſi tantum ſunt, niſi quod cum plena robuſtaque corpora, et in quibus adeſt diatheſis phlogiſtica, afficiunt, febremque accendunt, circa initium exſurgunt ſigna ſynocham mentientia: Syſtematis vero tenſione et robore diminuto, in typhum cito delapſura. Has igitur febres quaſi ejuſdem generis arbitramur, et in epidemio inter ſe ſaepius commiſceri notamus.

Quid in cauſis reſidet, quo ad hanc vel illam formam aſſumendam diſponuntur febres, dictu eſt difficillimum. Ut cauſarum fontes duos ſolos invenimus, ita duas formas, vel etiam duo febrium, nempe tertianae et typhi, genera, ſtatuere nobis licitum eſt. Quotquot aut quibus in lo-

cis

cis ſeſe attollunt ex tertianae genere febres, inter omnes hodie convenit, ex miaſmatis paludoſis originem ſolam ducere: Contra, typhi ſpecies ſingulae effluviis humanis referendae ſunt.

Nec cauſa alia alteri adeo adverſatur, quin ad morbum faciendum ambae conſpirent, aut, febris ab una concitata, ex altera modificationem accipiat. De morbo *Hungarico* inter medicos conſtat: Cujus haec fuit vera natura, ut ex palude ortum primum adſcivit; ſed in noſocomiis, ſimilibuſve locis, accedentibus contagione effluviiſve humanis, maximam virulentiam acquiſivit, et nunc remittentem, nunc continuam, qualis eſt typhi, formam, prout una ſive altera cauſa potentior exiſtebat, induit.

In cauſas breviter inquirendum, quae febrium formas variant; quia in principio ſaepe difficile eſt, veras earum naturas detegere atque cognoſcere.

Observandum imprimis, quod, cauſam febris proximam in animalium functionum *debilitate* poni, credimus, quam in arteriis periphericis ſequitur *ſpaſmus*, qui pro ſtimulo ſenſorio eſt, quo ad *reagendum* excitatur, viribus naturae medicatricibus, quae pro ſalute contra potentias nocentes in ſyſtemate inſeruntur. Solvi febrem ergo dicimus,

dicimus, quum ſpaſmi vis reactione ita vincitur, ut eum excipiat ſudor aequabilis et ſymptomatum intermiſſio.

Ita res ſe habet in febribus plenam intermiſſionem admittentibus: In ſolutione vero adimplenda deficiat reactio, et continua fiat febris, ob duas cauſas.

1. Adeo potens evadat ſpaſmus, ut reactio, quamvis magna, ad ſolvendum haud ſufficiat; vel,

2. Spasmus, quamvis haud firmiter conficitur, tamén, ex ſenſibilitate ſenſorii diminuta, reactio vix ac ne vix quidem concitatur, non ſolvitur ſpaſmus, et neceſſario continuum habitum aſſumit. Hanc atonicam, illam tonicam diatheſin, pro perſpicuitatis gratia, dicere nobis licet; et, dum cauſas, hoſce ſtatus producentes, eruimus, cauſas etiam, quae febribus modificationem inferunt, expiſcamur. In aeris qualitatibus ſenſibilibus, quatenus in hominis ſyſtema agunt, has cauſas praecipue indagamus; et de frigore primo loquemur.

Frigus, corpori ſano per tempus admotum, diatheſin inflammatoriam inducit, aut fibrarum omnium muſcularium tonum ſive contractilitatem auget. Haec diatheſis fundamentum ſummum febribus

febribus inflammatoriis ſtruit; et ſpaſmus, dum haec in ſyſtemate regnat, formatus, validior, firmior, et ſolutu difficilior erit, fortiterque ad febrem continuam reddendam operabitur. Huic frigoris effectui, ejus addenda eſt ad determinationes inflammatorias topicas inducendas potentia; et hoc in modo Sydenhami febres intercurrentes, quas in omni conſtitutione epidemica obſervavit, facile explicamus. Quo robuſtius exercitatiuſque corpus, eo hi frigoris effectus potentiores, certiuſque ad formam continuam diſponuntur febres.

Calor totum corpus relaxat, et tenſionem ſyſtematis arterioſi diminuit. Æſtatis calore, diatheſis phlogiſtica, frigore hyberno inducta, citiſſime penituſque abigitur; et diatheſis, aeque morbis, et iis malignioris naturae, diſponens, putreſcibilis ſcil. infertur. Nec de modo, in quo talis ad putreſcentiam proclivitas gignatur, in praeſens inquirendum; quoniam, revera accidere indicia ſatis luculenta habemus. Exhinc de diviſione febrium epidemicarum in Vernales inflammatorias, et Autumnales putridas, habetur ratio.

Ex caloris in energia cerebri minuenda effectu, de tranſitu intermittentis ad remittentem, et ad continuam febrem, innoteſcit; nec non ex ad

ad putrefcentiam difpofitione, vi caufae feptica forfan gravius facta, cur petechiae, haemorrhagiae, ex colliquato fanguine, aliaque putrefcentiae generalis figna, fefe produnt.

Bilis fecretionem et excretionem calore largiores reddi nemo inficias ibit; et tam copiofe in febribus autumnalibus furfum deorfumque ejicitur, quod nomen *biliofortum* multis audiunt. Fertilis hic fons unde fymptomata, morbi faciem nonnihil modificantia, nunc non perftringenda, profluant.

Inter remittentes autumnales frequenter epidemice graffatur dyfenteria. Nonne tamen forma dyfenterica veftire, ex bile acriori, miafmatis paludofis quodammodo mutata, difponuntur hae febres? Omnia ita fuadent.

Humiditas, vel in aere ficcitas, ad febres variandas tantum, quantum caloris et frigoris vires adtemperant, pollent. Obfervationibus meteorologicis edocemur, frigoris et caloris vires in ficca aeris temperie intenfiores fieri, humido vero aeris ftatu diminutas effe. Effectus plurimos eorum antea indigitavimus: In praefentia adjungere fufficiat, quod humiditas, nifi calorem infra gradum putrefactioni accommodatum reducit, tempeftatem infalubriorem, propterea quod miaf-

matum

matum generationi faveret, procreabit. Quo humidius hyemans coelum, absente contagione, eo magis morbis vacat; sed, si praevalet contagio in hyeme ac in altera anni tempestate, quo humidior aeris temperies concomitatur, eo expeditior serpit, latiorque saevit. Haec inter breves equidem limites de causis febres epidemicas modificantibus expedivimus; fusius deducere non licuit. Quo in modo aegri habitus, prout robustior aut debilior, sive idiosyncrasia peculiari donatur, aliisve morbis nunc anteave laboraverat aeger, idque genus multa, diversam faciem morbis imponant, omnibus rationem reddere in proclivi est; ergo mittenda sunt. Quamvis inter se, quoad haec symptomata accidentalia, discrepare videantur febres; tamen qui, ex nosologiae regulis bene perspectis, inter notas morbi idiopathici characterem constituentes et illas quae symptomaticae tantum subsistunt limites non ignorat, in errorem de vera morbi natura illabi haud pronus erit.

De causis, quae homines, grassante epidemio, praecipue affici obnoxios reddunt, dicere in animo fuit. Res est equidem haud exigui momenti, quippe quod multa pars regiminis contra febres prophylactici in hunc cardinem vertit: Quo-

niam vero cuique, medicorum opera legenti, obviam veniunt, et ne hujus ſpeciminis taedium eſſet, de iis omnino ſilemus. De hoc tamen monendum, quod ex dictis apparet, eos graviter errare, qui tenent cauſas epidemiorum per aerem undequaque diffundi, dum de ſingula contagione, materiiſque venenatis ſuperius indagatis, nunc innoteſcit, innocuas fieri, ſi ex fonte tantum brevi via diſpergantur.

Miasmata paludoſa, praeſertim vento adflante, latius quam effluvia humana, contagiove, ſerpunt; haec, contactu aegrorum, vel rerum quae juxta aegros verſantur, et veneficia receperunt, inter populum diſſeminantur.

Ad finem faciundum feſtinanter decurreremus, niſi primo regulae aliquae, ad praxin genericam ſtabiliendam rationem habentes, et ex doctrina antehac tradita deducibiles, ponendae viderentur. De his ergo quaedam.

Febrium epidemicarum typos ſeu formas duas ſtatuimus: Quae intermittunt, nempe, vel ad hunc ſtatum vergunt; et quae continuo tenore incedunt. Ad has igitur dirigenda praxis.

Grassantibus ex typo intermittente febribus, nobis prima eſſet cura ad intermiſſiones vel remiſſiones diſtinctas reducere; quod fit rationem

ad

ad diatheſes, tonicam et atonicam, quibus remiſſiones praeveniuntur, ſemper habendo.

Ad diatheſin tonicam minuendam, vel omnino fugandam,

1. Venæsectio inſtituenda ex toto ſyſtemate: Et hoc ſufficiet, niſi congeſtio topica inflammatoria accedit; tunc parti affectae quam proximus per ſcarificationes et cucurbitulas abſtrahendus ſanguis; eidemque, ſi urget congeſtio, veſicatoria applicanda.

2. Regimen, antiphlogiſticum dictum, quod in omnibus quae irritant ſemovendis et praecavendis ponitur, ſtricte obſervandum. Hoc non ad irritantia externa ſola, ſed ad interna etiam, qualia ſunt in primis viis acritates quaelibet, ſpectat.

Accedente vero diatheſi atonica, ne prae debilitate morbo ſuccumberet aeger,

1. Ab omni evacuatione, quae ad vires exhauriendas valeret, ſedulo abſtinendum.

2. Vires vino cardiaciſque aliis ſuffulciendae. Si determinatio topica acceſſerit,

3. Venæsectio topica cum veſicatoriorum uſu in praxin advocanda, eaque remedia ad locum affectum admovenda.

His

His praegressis, ad medicinam quae morbum debellat efficacissimam procedimus; aptaque corporis conditione, qua via supra ostendimus, impetrata, tutum est iter.

1. Tartarum emeticum, aliasve praeparationes antimoniales, parvis et repetitis dosibus usque ad nauseam vel lenem vomitionem ciendam, propinamus, et, ut opus videtur iterum iterumque, intervallis certis interjectis, exhibemus. Hoc in modo, spasmo peripherico soluto, et remissione secundum vota data.

2. Liberaliter ingerendus cortex Peruvianus, remedium potentissimum, ad paroxysmorum febrilium recursum oppugnandum. Nec ab hujus remedii usu refraenandum, donec purgentur a sordibus primae viae, vel remissio obtineatur; si gravius instant symptomata, in ullo stadio, vel sub aliquo morbi statu, largiter et cum summa salute, ut ex experientia comprobatur, deglutiendum.

Febrium, quae continua forma per totum vestiuntur, omnes ex typhi genere esse diximus. Hae, ut in intermittentibus, variari possunt diathesi tonica, synochum Culleni constituente; diathesis atonica vero, quoniam citius seriusve semper in his febribus adsit, ante oculos semper tenenda est.

1. Ad

1. Ad exiſtentiam ſymptomatum inflammatoriorum ſemper reſpiciendum, quibus datis, vel in toto ſyſtemate, vel in parte tantum, ad moderandum, in auxilium advocanda venaeſectio et generalis et topica, ut in intermittente praeſcripſimus; ſed in his febribus, utpote ex vi ſedativa periculum oritur, cautius utendum.

2. In primo febris inſultu, omnino diſcutere tentamina noſtra dirigenda ſunt. In hunc finem dandae ex tartaro emetico doſes, ut ſupra proponitur, ad nauſeam vel vomitionem lenem uſque, et ut remiſſio fiat; qua ſubſiſtente, corticem Peruvianum ingerere omnino licitum eſſet.

3. Si ad aegrotum non prius acceſſimus, quam adeo per tempus invaſerit febris ut ad plenum formetur, nec oblata fuit opportunitas, in qua ut diſcutiatur ſpes maximae eſſent; aut ſiquidem ope noſtra radicitus evellere haud potuimus; nos oportet conamine ſummo conniti, ut tuto feliciterque per curſum dirigatur, et ejus judicatio feliciſſima in decimum-quartum, decimum-ſeptimum, vel vigeſimum-primum diem exſpectetur.

4. In quocunque morbi ſtadio advenimus, ex uſu tartari emetici, ſi non prius in auxilium advocaretur, incipiendum; et, ut ante exacerbationes, quae

quae in febre singula continua circa meridiem et vesperi observandae veniunt, exhiberetur, opera est navanda. Nec minime reticendum, quod de hujus remedii usu ex experientia didicimus, scil. quum a die in diem reiteramus, effectus scopum nostrum attingentes post alteram tertiamve vicem vix accipimus, et ab ejus exhibitione quotidiana vexatur, nec sublevatur aeger. Quocirca ad maximarum exacerbationum tempora, quae nempe in dies, *criticos* dictos, eveniunt, semper respiciendum censemus, et consulendum, qui maxime judicatorii sunt, vel in quibus praecipue in lubrico atque ancipiti sunt res; tunc enim temporis, febris vim facilius frangere speraremus.

5. QUATENUS vesicatoria ad symptomatum moderationem conducant ex Lindo ediscas: Tametsi eorum usum cum Culleno postponeremus; ne, dum ad statum vergit febris, quae magnopere urgerent, erumperent symptomata, vesicatorii operationem postulantia.

6. INTER haec gerenda, aegri vires, ex causa morbi valde debilitatae, vino, cibo leni, nutriente, potu frigidiusculo acidulato, et vel cortice peruviano, absente diathesi inflammatoria, suffulciendae sunt. Nec varia remedia, quae in praxi habentur,

tur, ut cuique eſt ſententia, ſebrem ipſam vel ſymptomata tantum particularia reſpicientia diſcurreremus; quoniam ea ſola, quae nobis videntur efficaciſſima, maximeque neceſſaria, indicare voluimus; altera, rarius et pro arbitrio medici in uſum deducta, prorſus ſpernentes et praetermittentes.

TANDEM eo deventum eſt quo tendimus. Ultimus vero terminus huic diſſertatiunculae non ante imponendus, quam, propter minus nitidam impolitamque orationem, quod vix aliter accidere poſſit, quandoquidem in ordine ſcribendi exquiſitiori me non callere ſponte confiteor, veniam rogaverim. Inter varia et ambigua multa, veritatem ipſam enixe expetivi: Errare tamen ad *meam* humanam ſortem pertinet. Æquum vero eſt, ut libere palamque, ſi tibi, L. B. aliter ſentire acciderit, dummodo cum honeſto proboque animo facias, me reprehendas et redarguas. Hoc opuſculum neque adhuc miſſum facio, donec gratum animi noſtri adfectum, non quod ſolet, ſed quod decet, et noſtrae partis duco, teſtatum habeo, Praeceptoribus in hac ſchola, longe lateque celebrata, doctis et ſagaciſſimis, qui medicinae docendae palmam aliis praeripuerunt, et mihi ſtudiis incumbenti duces optimi fuere; So-

cietatibus

cietatibus quoque Physico-medicae et Medico-physicae Edinensibus, ex quarum disceptationibus summam voluptatem, immo et emolumentum maximum, accepi ; ac, dum vita adest, me praelectionibus illorum publicis, et disputationibus harum privatis, praesentem interfuisse, et artis opiferae principia lucida, simplicia, et veritati solummodo innixa, inde inhaurivisse, lubentissime reminiscar, semperque laetabor.

F I N I S.